

## CAPVT VIII.

*De officiis erga Deum seu Pietate Naturali.*

CCCII. Posteaquam iura hominis naturalia illorumque disciplinam generatim contemplantur sumus, sequitur, ut de ipso horum iurium usu, seu de officiis speciatim differamus. Quae quidem omnia pietate erga Deum, tum honestate et decore erga se ipsum, ac tandem aequitate et iustitia erga alios contineri supra demonstrauimus.

CCCIII. Quod ad pietatem attinet, quum ea in illustratione gloriae diuinæ seu diuinarum perfectionum manifestatione deprehendatur, is autem Dei manifestet perfectiones, qui ex illarum cogitatione desumit agendi momenta: facile colligitur, officia erga Deum naturalia ad duo illa summa capita posse reuocari; ut nimirum primo veram certamque consequamur Dei eiusque attributorum cognitionem, tum vero sententiis de Deo rite conceptis actiones nostras conformemus.

CCCIV. Esse autem Deum, a quo conditum sit hoc vniuersum, quoniam ex propria ipsius naturae, et rerum extrase positaram contemplatione, quicumque usu rationis est praeditus, facillime intelligere potest: inexcusabilis vtrique est huius euidentis veritatis ignorantia, qua semel absterfa, quamuis ens infinitum nequeat comprehendi, eius tamen aeternitas, independentia, vnitas, omnipraesentia, omniscientia, omnipotentia, veracitas, prouidentia, summa bonitas ac in praemiandis bonis et puniendis malis iustitia abunde patebunt cf. *WOLF. Theol. Natur.*

CCCV. Itaque prima illa Naturae lege de cognoscendo summo N. mine quam maxime abhorrent *Atheismus, Polytheismus, Idololatria, Epicureismus*; cum scilicet vel Deus esse negatur; vel plures finguntur Dii, vel rebus creatis, vti soli, lunae, mundo Diuinitas tribuitur, vel vero nulla admittitur Dei pro-

videntia; caeteraque huiusmodi opinionum monstra ab iis potissimum in medium prolata, qui vt *putentur sapere, coelum vituperant*. Phaedr. III. Fab. 6.

CCCVI. Nec varia, quae in hoc vniuerso experimur mala adfertae diuinae providentiae aduersantur. Malum enim *metaphysicum*, quod in rerum productarum limitatione positum est, nisi omnia entia infinita esse fingas, abesse nullo modo potest. Malum *morale* ex abusu libertatis oritur, quod si impediret Naturae auctor, bonum etiam morale tolleretur, atque hominis naturam; haec enim non intelligitur, nisi libera sit, et ad merendum, ac demerendum idonea. Denique malum *physicum*, veluti dolores ac morbi sunt mali moralis effectus; igitur haec mala permittere diuinae sapientiae est conuenientissimum. *cf. Leibnitz. in Theodicea*

CCCVII. Quamprimum intellectus viua diuinarum perfectionum cognitione est imbutus, etiam voluntas in iisdem rationem agendi sufficientem habet; actiones ad quas diuinorum attributorum contemplatio nos impellit, Dei *cultum* constituunt; quum igitur ad gloriam summi Numinis illustrandam, tanquam finem nostrum vltimum obligemur; etiam ad eiusdem cultum nos teneri est manifestissimum.

CCCVIII. Qui Deum colit, is Diuinas perfectiones imitatur, sese porro atque hoc vniuersum perficit, et ad summum bonum, quantum in se est, accedit. Quum igitur ex momentorum magnitudine ducatur obligationis mensura, euidentis est, nos ad Deum colendum obligatione omnium maxima esse obstrictos.

CCCIX. Quemadmodum actiones nostrae generatim vel internae tantum sunt, vel etiam externae, ita et illae, quae ad Diuinae gloriae illustrationem pertinent, bifariae considerari possunt. Quamobrem etiam Dei cultus in *internum* et *externum* recte distribuitur.

CCCX. Inter partes cultus interni *amor* Dei facile emi-

eminet: quum enim is amet, qui ad voluptatem ex perfectionibus capiendam propensus est promptusque: quis non videt, summam quoque esse oportere voluptatem nostram, et delectationem, quae ex cognitione infinitarum Dei perfectionum, et maximae in nos bonitatis cogitatione oritur: quod ipsum monuit Apostolus: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos*, IOAN. Ep I. IV. v. 19.

CCCXI. Proxima huic est *Reuerentia* seu timor filialis: amor enim sollicitudinem animi gignit, nihil faciendi quod alterius voluntati aduersetur, aut si quid factum, poenitendi, et veniam deprecandi. Quum igitur homo creatorem suum amare super omnia teneatur: vt eum quoque timeat, culpae poeniteat et remissionem flagitet necesse est. Absit autem timor ille *seruilis*; qui tantum poenarum repraesentatione excitatur, quippe qui cum odio coniunctus est, et auersatione. *CICER. off. II. 7. IOAN. I. v. 18.*

CCCXII. Sequitur porro *Fiducta, et Adquiescentia* in Deo, vt nimirum in officio manentes quod reliquum est, nos resque nostras ineffabili eius Prouidentiae committamus. Nouit enim ens omniscium, omnipotens atque optimum indigentias nostras, eisque potest, ac vult subuenire, quatenus quidem id summae ipsius sapientiae non repugnat. Quare Deum corde et mente *inuocare* debemus, vt quae nobis bona sunt, tribuat, mala depellet, aut si haec obuenerint, in bonum finem conuertat.

CCCXIII. Ex his autem obligatio *ad obedientiam et obsequium* manifesto colligitur. Sane is obedire dicitur, qui facit quod alter vult, et quod non vult, omittit. Diuina voluntas, quatenus sola ratione cognoscitur, est naturalis actionum nostrarum regula, cuius custodiam praemia, transgressionem vero poenae comitantur. Quare ab obligatione parendi voluntati summi imperantis Dei, non magis quam ab eius amore quisquam esse immunis potest. (§. 141.) quod ipsum  
E verba

verba docent sacrarum litterarum; *qui habet mandata mea, et seruat ea, is est, qui diligit me.* IOAN. XIV. 21.

CCCXIV. Qui ea agit, quibus declarat se Deum non habere pro tali numine quale revera est, Dei gloriam obscurare dicitur. Ideo cultum internum quam maxime contaminant, destruuntque odium Dei, irreuerentia, desperatio, inobedientia, omnisque alia impietas ac *superstitio*, quo nomine generatim quemcumque erroneum de Deo conceptum, speciatim vero vanum atque inanem timorem summi Numinis designant.

CCCXV. Sed illi etiam pietatem funditus tollunt, qui negant DEI providentiam, quasi non curaret res humanas, aut qui a diuina providentia ignaviae ducunt argumentum, vel poenas in hominis refractarios decernere a Dei bonitate esse alienum putant: quod cum et hodierni delirent Epicurei, eos fugere oportet cane peius et angue: *Sit enim spes fallendi*, miscebunt sacra profanis *Horat. I. Ep. 16. v. 51.*

CCCXVI. Vti nulla actio moralis externa sine interna intelligi potest, ita et cultus Dei externus ab interno totus pendet, omneque inde capit pondus, atque mensuram. In eo igitur consistit, ut celebremus diuinum nomen, rectasque de Dei existentia eiusque attributis cogitationes, tum amorem, reuerentiam, spem atque obsequium nostrum voce, aliisque signis declaremus.

CCCXVII. Huc porro spectant inuocationes summi Numinis ore prolatae seu *orationes*, quas si pro bonis a Deo obtinendis fundimus, *supplicationes*, si pro malis declinandis, *Preces*, si ad gratum animum significandum, *Gratiarum actiones*, si denique ad intercedendum pro aliis, *Interpellationes* vocantur. Et quoniam *Hymni*, seu carmina ad celebrationem diui Nominis composita, cantusque facilius in animos influunt, attentionem augent, et memoriae tenacius infinguntur, nulla dubitatio est, quin hymni cantusque cultui diuino externo promouendo valde sint idonei.

CCCXVIII.

CCCXVIII. Etsi vero ratio sibi soli relicta, quo in loco, quibus diebus, quoties aut qua forma haec pietatis exercitia explicanda sint, minime determinet, ea tamen docet, certum locum, tempus, et modum externo cultui esse destinandum, et inde colligitur, *templa*, *dies festos*, nec non *ceremonias*, quae sunt signa eorum, quorum in executione negotii alicuius debemus recordari, tum *figuras hieroglyphicas*, et *imagines* insignem habere vtilitatem, et ad Dei cultum augendum prodesse.

CCCXIX. In his omnibus tamen ea tenenda moderatio est, ne dies festi nimia tandem frequentia vilescant, et in contemptum abeant, neue necessariis laboribus, aliisque implendis officiis sint impedimento; ne ceremoniae ad rerum sacrarum memoriam instaurandam ineptae adhibeantur; ne denique nomines sensuum imperio adueti culum rei significatae Creatori scilicet eiusque attributis in mentem reuocandis, debitum ipsis signis ac imaginibus exhibeant.

CCCXX. Atque ex his adparet, quam absurde nonnulli cultus externi necessitatem sola ratione colligi posse negauerint. Vtique actiones nostrae omnes, adeoque etiam externae in fine ultimo consentire debent, nemo autem gloriam Dei manifestare sine externis signis potest. Sed et internam cuiusuis pietatem frigescere neesse est, nisi in externam gestiat prorumpere. Et ideo cogitationes nostrae, quas diuersae sensationes saepius impedirent, perceptionibus sociis confirmandae sunt.

CCCXXI. Nunc quid tam interno quam etiam externo Dei cultui aduersetur, proum erit iudicare. Eo nimirum spectat *Blasphemia*, seu dictum vel factum in contemptum Dei vergens *Idololatria*, si ueneratio soli Deo propria rebus creatis exhibetur. Dein *Pietas politica*, quae in externis tantum actibus, sine animi consensu reperitur. Abit autem haec vel in *Hypocrisin*, si a rerum captandarum cupiditate ducitur,

E 2

vel

vel in *Pharisaismum*, si ad nudam ostentationem pertinet.

CCCXXXII. Eo quoque referenda sunt *pietas mechanica*, et *preces tantum formularie*, quas dum os memoria profert, mens alio diuagatur; aut plane non intelligit, porro *Bilis*, quae pro zelo, *Tristitia*, quae pro amore Numinis, et *Paroxismi hypocondriaci*, qui pro pugna cum daemone habentur; *Pudor pietatis*, cum quis erubescit preces fundere, aut Deum confiteri.

CCCXXXIII. Ad hanc denique classem pertinent facta omnia superstitiosa, fanatica, ac diuinatoria, quorum quidem plurimae sunt formae, sed satis fuerit pauca quaedam extantiora exempla designare. In hoc nimirum luto haerent, qui effectus a praestantissima natura tandem pendentes tribuunt creaturis; qui occulta Dei iudicia interpretantur temere; qui Deum quasi ens auarum donis facile placari, aut solo externo cultu propitiari posse censent; qui falsa fingunt miracula, aut usum propriarum facultatum negligentes, illa tamen implorant, qui non horrent humanos immolare victimas, ac tandem qui a Deo aliquid infinitis ejusdem perfectionibus dissentaneum efflagitant.

CCCXXXIV. Actiones affirmatiuae certo loco, tempore, viribus indigent seu occasione, quae tamen in actionibus negatiuis deesse nunquam potest. Ex quo consequitur, vt diuinam gloriam immediate illustrare semper quidem, vt aiunt, sed non pro semper, eam vero non obscurare, semper et pro semper, hoc est sine ullius temporis, vel loci intermissione teneamur.

CCCXXXV. In Dei cognitione et cultu posita est *Religio*; quae vera est, si Dei conueniat attributis, falsa si eisdem repugnet. Et porro alia *naturalis*, quatenus solius rationis lumine cognoscitur, vel *positiua*, si primum accedente diuina reuelatione innotescit. Quia vero leges omnes naturae necessariae sunt, atque immutabiles, satis liquet, praeccepta Religionis naturalis

lis

Iis per ea, quae Deus speciali modo nobis manifesta-  
uit sublata non fuisse.

CCCXXVI. Actiones omnes liberas adeoque et il-  
las, quae piarum genere continentur, ab intellectu et  
voluntate tanquam a suis principiis, proficisci, intel-  
lectum vero et voluntatem physice cogi non posse satis  
constat. Inde vero colligitur etiam actiones pias ab  
omni physica coactione esse immunes: quoniam vero  
obligatio naturalis atque immutabilis Deum recte cog-  
noscendi, et colendi paulo ante demonstrata est, eate-  
nus profecto nulla existit religionis libertas moralis,  
atque adeo hoc sensu *libertas*, quam vocant, *conscien-  
tiae* turpe est commentum.

CCCXXVII. Quum Ecclesia sit societas ad Deum  
eodem modo colendum tendens, omnes autem homines  
vnitis viribus ad hunc finem obtinendum lege naturali  
obligentur, non obscurum est concipi posse Ecclesiam  
naturalem, ratione tantum cognitam, absolutam atque  
vniversalem, in qua tamen, nec personarum, aut rerum  
discrimen, nec certi ritus, vt dies festi, nec sa-  
crificia, nec humanum imperium intelligitur. Qua-  
propter homo hominem ab illa excludere, vel semetip-  
sum separare nullomodo potest. Haec igitur omnia de-  
terminari oportuit lege positua; in quo quidem chris-  
tianae Religionis praestantia conspicitur.

\* Explanentur hic leges diuinae positivae.

I. *De arbore vetita Gen. II. 17.*

II. *De Sabatho sanctificando Gen. I. 27.*

III. *De esu sanguinis vitando. Gen. IX. 4.*

CCCXXVIII. Nihilominus insignis hodie adhuc  
est Religionis naturalis vsus. Primo enim haec homi-  
nes populosque, qui auctoritatem non agnoscunt sacra-  
rum litterarum, aliquo tamen vinculo et fraeno cohi-  
bere potest. Dein vero religionis reuelatae necessita-  
tem suggerit, et regulas docet, quibus falsa reuelatio  
a vera rectaque discernatur. Et si enim rationem supe-  
ret

ret reuelatio, attamen doctrinas, quae veritatibus ratione perspicuis, et diuinis perfectionibus aduersantur, ad falsas spuriasque esse referendas inde patescit, quod Deus rationis, et reuelationis auctor sibi ipsi nequeat repugnare.

## CAPVT IX.

### *De officiis erga se ipsum, seu de honestate naturali.*

CCCXXIX. Inter fines, quos spectauit sapientissimus conditor huius vniuersi, illum quoque reperiri alibi demonstrauius, vt quisque se conseruare studeat, se perficiat, diligitque; hoc enim neglecto, nec ea, de qua antecedente capite egimus, diuinae gloriae illustratio obtineri vlllo modo potest. Nemo igitur est, qui non huic fini actiones suas attemperae teneatur. Quod idem, quum et cuique innati suggerant naturae stimuli, et recta ratio ex veri boni notione luculenter perspiciat: quin obligationes et officia erga semetipsum dentur, absurdum foret dubitare.

CCCXXX. Quicumque facultatum a naturae auctore tributarum sibi satis non est conscius, atque adeo quas perfectiones acquirere, aut imperfectiones euitare aptus sit, probe non tenet, is in boni malique delectu facile inducetur in errorem; itaque unicuique imprimis curandum est, vt se ipsum noscat, tum vitas hominum inspiciat tanquam in speculum, dein vero qua ratione alii perfectiores facti sint, vel imperfectiores, sedulo experiatur.

CCCXXXI. Quum vero hominis status vel interius sit, vel exterius, illeque anima et corpore atque vtriusque facultatibus, hic autem pluribus aliis determinationibus contineatur: homini, qui statum suum perficere debet, danda omnino est opera, vt se viuam  
ser-